

Alte Drucke

**M. T. CICE=||RONIS EPISTO-||LAE AD COMPLVRES || SCRIPTAE,
QVAS VVLGO || FAMILIARES APPEL=||LARVNT, || CVM
ARGVMENTIS GI-||berti Longolij, editæ || DE ...**

Cicero, Marcus Tullius

Lipsiae, 1566

VD16 ZV 30873

MARCI TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM LIBER AD APPIVM CLAVDIVM, ET
CAETEROS.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149860

unde, neque quo die datae essent, aut quo tempore te expectarem, significabant: nec is, qui attulerat, a te acceperat, ut ex eo scirem, quo ex loco, et quo tempore essent datae. Quae cum essent incerta, existimaui tamen faciendum esse, ut ad te statores meos et lectores cum literis mitterem: quas si satis opportuno tempore accepisti, gratissimum mihi feceris, si ad me in Ciliatiam quamprimum ueneris. Nam quod ad me Curius consobrinus tuus (ut scis) mihi maxime necessarius quod item C. Virginus, propinquus tuus familiarissimus noster de te accuratissime scripsit, ualet id quidem apud me multum, sicut debet hominum amicissimorum diligens commendatio: sed tuae literae de tua praesertim dignitate, et de nostra coniunctione, maximi sunt apud me ponderis. Mihi quae stior optatior obtingere nemo potuit. Quamobrem, quaecumque a me ornamenta in te proficiscentur, elaborabo, ut omnes intelligant, a me habitam esse rationem tuae maiorumque tuorum dignitatis. Sed id iam facilius consequar, si ad me in Ciliatiam ueneris: quod ego et mea, et Reipublicae, et maxime tua interesse arbitror. Vale.

MARCI TVLLII

CICERONIS EPISTOLARVM

LIBER AD APPIVM CLAV-

DIVM, ET CAETE-

ROS.

M. T. C. APPIO PVLCRO IMPE-

RATORI S. P. D.

D 5

30

Si



et ipsa Respublica tibi narrare posset, quomodo sese haberet, nō facilius ex ea cognoscere posses, quā ex liberto tuo Phania: ita est homo non modo prudens, ac-
rumetiam (quod uidi) curiosus: quapropter ille omnia tibi expla-

nabit: id enim mihi et ad breuitatem est aptius, et ad reliquas res prouidentius. De mea autem beneuolentia erga te, etsi potes ex eodem Phania cognoscere, tamē uidentur etiam aliquæ meæ partes. Sic enim persuade tibi, carissimum te mihi esse, cum propter multas suas uirtutes ingenij, officij, humanitatis tuæ, tum quod ex literis tuis, et ex multorum sermonibus intelligo, omnia quæ a me profecta sunt in te, tibi accidisse gratissima. Quod cum ita sit, perficiam profecto, ut longi temporis usuram, qua caruimus, intermissa nostra consuetudine, et gratia, et crebritate, et magnitudine officiorum meorum sarciam, idque me (quoniam tu ita uis) puto non inuita Minerua esse facturum: quam quidem ego, si forte de tuis sumsero, non solū Pallada, sed etiā Appiada nominabo. Cilix libertus tuus antea mihi minus fuit notus: sed ut mihi a te reddit literas plenas et amoris et officij, mirifice ipse suo sermone subsecutus est humanitatem literarum tuarū. Iucunda mihi eius oratio fuit, cum de animo tuo, cum de sermonibus, quos de me habes quotidie, mihi narraret. Quid quæris? Biduo factus es mihi familiaris, ita tamen, ut Phaniam ualde sim desideraturus, quem cum Romam remittes, quod (ut putabamus) celeriter eras facturus, omnibus ei de rebus, quas agi, quas curari a me uoles,

uoles, mandata des uelim L. Valerium Iurisconsultum
ualde tibi cōmendo, sed ita etiam, si non esset iuriscons-
ultus. Melius enim ei cauere uolo, quam ipse alijs so-
let. Valde hominem diligo: est ex meis domesticis atq;
intimis familiaribus: omnino tibi agit gratias: sed idē
scribit, meas literas maximum apud te pondus habitu-
ras. Id eum ne fallat, te etiam atq; etiam rogo. Vale.

M. T. C. PROCONSVL, APPIO
PVLCRO IMPERAT.

S. P. D.

31

Cum & contra uoluntatem meam, & præter
opinione[m] accidisset, ut mihi cum imperio in
prouinciam proficisci necesse esset: in multis & ua-
rijs molestijs, cogitationibusq; meis, hæc una consola-
tio occurrebat, quod neque tibi amior, quam ego
sum quisquam posset succedere: neq; ego ab ullo pro-
uinciam accipere, qui mallet eam mihi quam maxime
aptam explicatamq; tradere. Quod si tu quoq; ean-
dem de mea uoluntate erga te spem habes, ea te profe-
cto nunquam fallat. A te maximopere pro nostra sum-
ma coniunctione, tuaq; singulari humanitate etiam at-
que etiam peto & quæso, ut quibuscunq; rebus pote-
ris (poteris autem plurimis) prospicias, & consu-
las rationibus meis. Vides ex senatusconsulto prouin-
ciam esse habendam: si eam (quoad eius facere potue-
ris) quam expeditissimā mihi tradideris, facilius erit
mihi quasi decursus mei temporis. Quid in eo gene-
re efficere possis, tui consilij est. Ego te, quod tibi ue-
niet in mentem mea interesse, ualde rogo. Pluribus
uerbis

uerbis ad te scriberem, si aut tua humanitas longiorē orationem expectaret: aut id fieri nostra amicitia pareretur: aut res uerba desideraret, ac non pro se ipsa loqueretur. Hoc uelim tibi persuadere, si rationibus meis prouisum a te esse intellexero, magnam te ex eo & perpetuam uoluptatem esse capturum. Vale.

M. T. C. APPIO PVLERO

32

S. P. D.

3

AD XVI. Calendas Iunias Brundisium cum uenisset, Qu. Fabius legatus tuus mihi praeſto fuit, eaq; me ex tuis mandatis monuit, quæ non modo mihi, ad quem perueniebant, sed uniuerso ſenatu uenerant in mentem, præſidio firmiori opus eſſe ad iſtam prouinciam. Censebant enim omnes fore, ut in Italia ſupplementum meis et Bibuli legionibus ſcriberetur. Id cum ſulpitius Conſul paſſurum ſe negaret, multa nos quidem queſti ſumus: ſed tantus conſenſus ſenatus fuit, ut mature proficiſceremur, parendum ut fuerit: itaque fecimus. Nunc quod a te petij literis ijs, quas Romæ tabellarijs tuis dedi, uelim tibi curæ ſit, ut quæ ſucceſſori coniunctiſſimo & amiciſſimo commo- dare poteſt iſ, qui prouinciam tradit, ea pro noſtra conſantiſſima uoluntate erga te, cura ac diligentia tua complectare, ut omnes intelligant, nec me beneuolentiori cuiquam ſuccedere, nec te amiciori potuiſſe prouinciam tradere. Ex ijs literis, quarum ad me exemplum miſiſti, quas in ſenatu recitare uoluſti, ſic intellexeram, permultos a te milites eſſe dimiſſos: ſed mihi Fabius idem demonſtrauit id te cogitaſſe facere, ſed cum ipſe a te diſcederet, integrum militum nume- rum

rum

rum fuisse. Id si ita est, per gratū mihi feceris, si istas exiguas copias, quas habuisti, quam minimum immiseris: qua de re senatus consulta quæ facta sunt, ad te missa esse arbitror. Equidem pro eo quanti te facio, quicquid feceris approbabo. Sed te quoq; confido ea esse facturum, qui mihi intelliges maxime esse accommodata. Ego C. Pontiniū legatum meum Brundisij expectabam: cumq; ante Calen. Iulias Brundisium venturum arbitror: Qui cum uenerit, cum primum nauigandi nobis facultas data erit, ea utemur. Vale.

M. T. C. APPIO PVLERO

S. P. D.

33

4.
Pridie Nonas Iunij, cum essem Brundisij, literas tuas accepi: quibus erat scriptum, te L. Clodio mandasse, quæ illum loqui mecum uelles. Eum sane expectabam, ut ea, quæ a te afferret, quam primum cognoscerem. Meum studium erga te & officium, tametsi multis iam rebus spero tibi esse cognitum, tamē in ijs maxime declarabo, quibus plurimum significare potero, tuam mihi existimationem, & dignitatem carissimam esse. Mibi & Q. Fabius Virgilianus, & C. Flaccus L. filius, & diligentissime M. Octavius Cn. filius demonstrauit, me a te plurimi fieri: quod egomet plurimis argumentis iam antea iudicaram, maximeq; illo libro augurali, quē ad me amantissime scriptum, suauissimum misisti. Mea in te omnia summa necessitudinis officia constabunt. Nam cum te ipsum, ex quo tempore tu me diligere cœpisti, quotidie plaris feci, tum acceſserunt etiam coniunctiones necessariorum

riorum tuorum : duos enim duarum ætatum plurimi facio. Cn. Pompeium filia tuæ socerum , & M. Brutum generum tuum, Collegijq; coniunctio, præsertim tam honorifice a te approbata, non mediocriter uinculum mihi quidem attulisse uidetur ad uoluntates nostras copulandas. Sed si Clodium conuenero, ex illius sermone ad te scribam plura : & ipse operam dabo, te ut quam primum uideam. Quod scribis tibi manendi causam eam fuisse, ut me conuenires, id mihi, ne mentiar, gratum est. Vale.

M. T. C. APPIO PVLCRE

S. P. D.

Talleis ueni, ad XIII. Calendas Sextileis : ibi mihi præsto fuit L. Lucius cum literis mandatisque tuis : quo quidem homine neminem potuisti, nec mihi amiciorem, nec, (ut arbitror) ad ea cognoscenda, quæ scire uolebam, aptiorem, prudentiorem, uel mittere. Ego autem & tuas literas legi libenter & audiui Lucilium diligenter. Nunc quoniam & ita sentis (scribis enim quæ de nostris officiis, ego ad te scripseram, etsi tibi iucunda fuerint, tamen quoniam ex alto repetita sunt, non necessaria te putasse, & re uera confirmata amicitia, & perspecta fide, commemoratio officiorum superuacanea est) eam partem orationis prætermittam : tibi tamen agam, ut debeo, gratias. Animaduerti enim, & didici ex tuis literis, te omnibus in rebus habuisse rationem, ut mihi consuleres, restitueresque & præparares quodammodo omnia, quo mea ratio facilius & solutius esse posset. Hoc tuum officium cum mihi gratissimum esse dicam,

cam,

cam, sequitur illud, ut te existimare uelim, mihi magna curæ fore, atque esse iam primum, ut ipse tu, tuique omnes, deinde etiam ut reliqui scire possint, me tibi esse amicissimum. Quod quibus adhuc non satis perspectum est, iij mihi, nolle magis hoc animo nos esse, quam non intelligere, uidentur. Sed profecto intelligent: neque enim obscuris personis, nec paruis in causis res agetur. Sed hoc fieri melius, quàm dici aut scribi uolo. Quod itinerum meorum ratio te nonnullam in dubitationem uidetur adducere, uisurusne me sis in prouincia: ea res sic se habet: Brundisij cum loquerer cū Phania liberto tuo, ueni in eum sermonem, ut dicerem, libenter me ad eam partem prouinciæ primum esse uenturum, quo te maxime uelle arbitrarer: tunc mihi ille dixit, classe te uelle decedere: per fore accōmodatum tibi, si ad Sidam, maritimam partem prouinciæ, nauibus accessissem: dixi me esse facturum. itaque fecissem, nisi mihi L. Clodius noster Corcyræ dixisset, minime id esse faciendum: te Laodiceæ fore ad meum aduentum. Erat id mihi multo breuius, multoque commodius, cum præsertim te ita malle arbitrarer. Tua ratio postea est commutata. Nunc quid fieri possit, tu facillime statues: ego tibi meum consilium exponam. Pridie Calendas Sextileis puto me Laodiceæ fore: ibi per paucos dies, dum pecunia accipitur, quæ mihi ex publica permutatione debetur, commorabor. Deinde iter faciam ad exercitum, ut circiter Idus Sextileis putem me ad Iconium fore. Sed si quid nunc me fallit in scribendo (procul enim absum ab re ipsa, & locis) simul ac progredi cœpero, quam celerrimis literis faciam, ut tibi nota sit omnis ratio dierum

dierum atq; itinerum meorum. Oneris tibi imponere nec audeo quicquam, nec debeo. Sed quod tuo com- modo fieri possit, utriusq; nostrum magni interest, prius ut te conueniam, quam decedas. Quam facultatem si quis casus eripuerit, mea tamen in te omnia officia constabunt, non secus ac si te uidissem. Tibi de nostris reb. nihil sum ante mandaturus per literas, quam des- speraro coram me tecum agere posse. Quod te a Scæ- uola petisse dicis, ut dum tu abesses ante aduentum meum, prouinciæ præisset: cum ego Ephe- si uidi, fuitq; mecum familiariter triduum illud, quod ego Ephe- si commoratus sum: nec ex eo quicquam audiui, quod si- bi a te mandatum diceret. Sane uellem potuisse obse- qui uoluntati tuæ: non enim arbitror noluisse. Vale.

M. T. C. APPIO PVLERO

35

S. P. D.

6

Cum meum factum cum tuo comparo, etsi non magis mihi faueo in nostra amicitia tuenda, quam tibi: tamen multo magis meo facto delector, quam tuo. Ego enim Brundisij quæsiui ex Phania, cuius mihi uidebar et fidelitatem erga te perspexis- se, et nosse locum, quem apud te is teneret: quam in partem prouinciæ maxime putaret te uelle, ut succe- dendo primum uenirem. Cum ille mihi respondisset, nihil me tibi gratius facere posse, quam si ad Sidam nauigassem: etsi minus dignitatis habebat ille aduen- tus, et ad multas res mihi minus erat aptus, tamen ita me dixi esse facturum. Idem ego cum L. Clodium Corcyrae conuenissem, hominem ita tibi coniunctum,

ut

ut mihi, cum illo cum loquerer, tecum loqui uiderer : dixi ei, me ita facturum esse, ut in eam partem, quam Phania rogasset, primum uenirem. Tunc mihi ille cum gratias egisset, magnopere a me petiuit, ut Laodiceam protinus irem: te in prima prouincia uelle esse, ut quam primum decederes: quin nisi ego successor essem, quem tu cuperes uidere, te antea, quam tibi successum esset, decessurum fuisse: quod quidem erat consentaneum cum ijs literis, quas ego Romæ acceperam, ex quibus perspexisse mihi uidebar, quam festinares decedere. Respondi Clodio me ita esse facturum, ac multo quidem libentius, quam si illud esset faciendum, quod promiseram Phaniæ. Itaque et consilium mutaui: et ad te statim mea manu scriptas literas misi: quas quidem ex tuis literis intellexi satis mature ad te esse perlatas. Hoc ego meo facto ualde delector: nihil enim potuit fieri amanti. Considera nunc uicissimum. Non modo ibi non fuisti, ubi me quam primum uidere posses, sed eo discessisti, quo ego te ne persequi quidem possum triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege (ut opinor) Cornelia constituti essent: ut tuum factum illis, qui quo animo inter nos simus, ignorant, alieni hominis (ut leuissime dicam) et fugientis congressum: meum uero coniunctissimi et amicissimi esse uideatur. At mihi tamen ante, quam in prouinciam uenissem, redditæ sunt a te literæ: quibus etsi te Tarsum proficisci demonstrabas, tamen mihi non dubiam spem mei conueniendi afferebas: cum interea, credo equidem, maleuoli homines (late enim patet hoc uicium, et est in multis) sed tamen probabilem materiam nacti sermonis, ignari meæ constantiæ, con-

nabantur alienare a te uoluntatem meam, qui te forum Tarſi agere, statuere, multa decernere, iudicare dicerent, cum poſſes iam ſuſpicari tibi eſſe ſucceſſum: quæ ne ab ijs quidem fieri ſolerent, qui breui tempore ſibi ſucceſſum iri putarent. Horum ego ſermone non mouebar: quin etiam (credas mihi uelim) ſi quid tu ageres, leuari me putabam moleſtia: & ex annua prouincia, quæ mihi longa uideretur, prope iam undecim menſium prouinciã factã eſſe gaudebam, ſi abſenti mihi unius menſis labor detractus eſſet. Illud (uere dicam) me mouet, in tanta militum paucitate abeſſe treis cohorteis, quæ ſunt pleniffimæ, nec me ſcire ubi ſint. Moleſtiſſime autem ſero, quod te ubi uiſurus ſim, neſcio: eoq; ad te tardius ſcripſi, quod quotidie te ipſum expectabam: cū interea ne literas quidem ullas accepi, quæ me docerent quid ageres, aut ubi te uiſurus eſſem. Itaq; uirum fortem, mihiq; imprimis probatum Antonium præſectum euocatorum miſi ad te, cui ſi tibi uideretur, cohortes traderes: ut dum tempus anni eſſet idoneum, aliquid negotij gerere poſſem. In quo tuo conſilio ut me ſperarem eſſe uſurum, & amicitia noſtra & literæ tuæ fecerant: quod ne nunc quidem deſpero. Sed plane quando, aut ubi te uiſurus ſim, niſi ad me ſcripſeris, ne ſuſpicari quidem poſſum. Ego, ut me tibi amiçiſſimum eſſe & æqui & iniqui intelligant, curabo. De tuo in me animo iniquis ſecus æſtimandi uideris nonnihil loci diſſe: id ſi correxeris, mihi ualde gratum erit. Et ut habere rationem poſſis, quo loco me ſalua lege Cornelia conuenias, ego in prouinciã ueni pridie Calendas Sextileis, iter in Ciliciã facio per Cappadociã: caſtra

castra moui ab Iconio pridie Calendas Septembris. Nunc tu & ex diebus & ex ratione itineris, si putabis me esse conueniendum, constitues, quo loco id commodissime fieri possit, & quo die. Vale.

M. T. C. SALVTEM DICIT
APPIO PVLERO.

35

2

Puribus uerbis ad te scribam, cum plus ocij natus ero. Hæc scripsi subito, cum Bruti pueri Laodiceæ me conuenissent, & se Romam properare dixissent. Itaque nullas ijs præterquam ad te & ad Brutum dedi literas. Legati Apameani mihi uolumentum te plenum querelæ iniquissimæ reddiderunt, quod eorum ædificationem literis meis impedissem. Eadem epistola petebas, ut eos quam primum, ne in hyemem inciderent ad facultatem ædificandi liberarem: & simul peracite querebare, quod eos tributa exigere uetarem prius, quam ego re cognita permissem: genus enim quoddam fuisse impediendi, cum ego cognoscere non possem, nisi cum ad hyemem me ex Cilicia recepissem. Ad omnia accipe & cognosce æquitatem expostulationis tuæ. Primum, cum ad me aditum esset ab ijs, qui dicerent a se intolerabilia tributa exigi: quid habuit iniquitatis, me scribere, ne facerent antequam ego rem causamque cognoscerem? Nam posteram, credo, ante hyemem: sic enim scribis, quasi uenire ad cognoscendum ego ad illos, non illi ad me uenire debuerint. Tam longe inquis? quid, cum dabis ijs literas, per quas mecum agebas, ne eos impedirem, quo minus ante hyemem ædificarent, non eos ad me uenturos arbitrare? Tametsi id quidem fecerunt

B a

ridis

ridicule: quas enim literas afferebant, ut opus æstate
facere possent, eas mihi post brumam reddiderunt.
Sed scito, & multo plureis esse, qui de tributis recu-
sent, quam qui exigi uelint: & me tamen, quod te
uelle existimem, esse facturum. De Apameanis hacten-
us. A Pausania Lentuli liberti, ac Cæsonio audiui,
cum diceret, te secum esse quæstum, quod tibi obuiam
non prodissem. Scilicet contemsi te: nec potest fieri
me quicquam superbius. Cum puer tuus ad me secum
da fere uigilia uenisset, isq; te ante lucem Iconium mi-
hi uenturum nunciasset, incertumq; utra uia, cum es-
sent duæ: altera Varronem tuum familiarissimum, al-
tera, Qu. Leptam præfectum fabrum meum tibi ob-
uiam misi, mandauiq; utriq; eorum, ut ante ad me ex-
currerent, ut tibi obuiam prodire possem. Currens
Lepta uenit mihiq; nunciauit, te iam castra præter-
gressum esse: confestim Iconium ueni: cætera iam tibi
nota sunt. An ego tibi obuiam non prodirem? primum
Appio Claudio? deinde, Imperatori? deinde, more
maiorum? deinde, quod caput est, amico? præsertim
cum in isto genere multo etiam ambitiosius facere so-
leam, quam bonos meus & dignitas postulat. Sed
hæc hactenus. Illud idem Pausania dicebat te dixisse.
Quid? Appius Lentulo, Lentulus Appio processit ob-
uiam, Cicero Appio noluit? Quæso, etiam ne tu has
ineptias, homo (mea sententia) summa prudentia,
multa etiam doctrina plurimo rerum usu, addo urba-
nitatem, quæ est uirtus, ut Stoici rectissime putant:
ullam Appietatem & Lentulitatem ualere apud me
plus, quam ornamenta uirtutis existimas? Cum ea
consecutus nondum eram, quæ sunt hominum opinio-
nibus

nibus amplissima, tamen ista uestra nomina nunquam sum admiratus: uiros eos qui ea uobis reliquissent, magnos arbitrabar. Postea uero, quam ita et cepi et gessi maxima imperia, ut mihi nihil neque ad honorem neque ad gloriam acquirendam deesse putarem: superiorem quidem nunquam, sed parem uobis me speraui esse factum. Nec mehercule aliter uidi existimare uel Cn. Pompeium, quem omnibus, qui unquam fuerunt, uel P. Lentulum, quem mihi ipse antepono. Tu si aliter existimas, nihil errabis, si paulo diligentius: ut quid sit ἰσοχὴ, quid sit ὀνείρα intelligas: et si Athenodorus Sardonis filius quid de his rebus dicat, attenderis. Sed ut ad rem redeam, me tibi non amicum modo, uerum etiam amiciissimum existimes uelim: profecto omnibus meis officiis efficiam, ut ita esse, uere possis iudicare. Tu autem si id agis, ut minus mea causa, dum ego absum, debere uidearis, quam ego tua laborarim: libero te ista cura. πᾶς ἡμοῖς καὶ ἀλλοις οἷα με τιμῶσιν, μάλιστα δὲ μητίετα ζῆς. Si autem natura es φιλαίτιος, illud non perficies, quo minus tua causa uelim: hoc assequere, ut in quam partem accipias, minus laborem. Hæc ad te scripsi liberius, fretus conscientia officij mei, beneuolentiæque quam a me certo iudicio susceptam, quoad tu uoles, conseruabo. Vale.

M. T. C. SALVTEM DICIT

APPIO PVLERO.

57

ET si, quantum ex literis tuis intelligere potui, uidebam te hanc epistolam, cum ad urbem esses, esse lecturum, refrigerato iam leuissimo sermone bo-

E 3

minum

minum provincialium: tamen cum tu tam multis uerbis ad me de improborum oratione scripisses, faciens dum mihi putavi, ut tuis literis breui responderẽ. Sed prima duo capita epistolæ tuæ tacita mihi quodammodo relinquenda sunt. Nihil enim habent, quod aut definitum sit, aut certum, nisi me uultu & taciturnitate significasse tibi non esse amicum, idq; pro tribu nali, cum aliquid ageretur, & nonnullis in conuiuijs intelligi potuisse. Hoc totum nihil esse, possem intelligere: sed cum sit nihil, nec quid dicatur quidem intelligo. illud quidem scio, meos multos, & illustres, & ex superiore, & ex æquo loco sermones habitos cum tua summa laude, & cum magna significatione nostræ familiaritatis, ad te fere potuisse deferri. Nam quod ad legatos attinet, quid a me fieri potuit aut elegantius aut iustius, quam ut sumtus e gentissimarum ciuitatum minuerem, sine ulla imminutione dignitatis tuæ, præsertim ipsis ciuitatibus postulantibus? Nam mihi totum genus legationũ tuo nomine proficiscens, notum non erat. Apamæ cum essem, multarum ciuitatum principes ad me detulerunt, sumtus decerni legatis nimis magnos, cum soluendo ciuitates non essent. Hic ego multa simul cogitavi: primum te hominem, non solum sapientem, uerumetiam (ut nunc loquimur) urbanum, non arbitrabar genere isto legationum delectari: idq; me arbitror Synnadis pro tribunali multis uerbis disputasse. Primum Appium Claudium Senatui, populoq; Romano non Myndensium testimonio (de ea enim ciuitate mentio facta est) sed sua sponte esse laudatum. Deinde me ista uidisse multis accidere, ut eorum causa legationis Romanæ

uenirent: sed his legationibus non meminisse ullū tem-
pus laudandi, aut locum dari: studia mihi eorum pla-
cere, quod in te bene merito grati essent: consilium
totum uideri minime necessarium. Si autem uellent de-
clarare in eo officium suum, laudaturum me: si quis
suo sumtu functus esset officio, concessurum, si legiti-
mo: non permissurum, si infinito. Quod enim repre-
hendi potest, nisi quod addis, uisum esse quibusdam,
edictum meum, quasi consulto ad istas legationes im-
pediendas esse accommodatum? Iam uero non tantum
mihi uidentur iniuriam facere ij, qui hæc disputant,
quam is, cuius aures ad hanc disputationem patent.
Romæ composui edictum, nihil addidi, nisi quod pu-
blicani me rogarent, cum Samum ad me uenissent, ut
de tuo edicto totidem uerbis transferrem in meum.
Diligentiſſime scriptum caput est, quod pertinet ad
minuendos sumtus ciuitatum, quo in capite sunt quæ-
dam noua, salutaria ciuitatibus, quibus ego magnopes-
re delector. Hoc uero, ex quo suspitio nata est, me exa-
quisſe aliquid, in quo te offenderem, tralatitium est.
Neq; enim eram tam desipiens, ut priuatæ rei cauſſa
legari putarem, qui & tibi non priuato, & pro re
non priuata sua, sed publica, non in priuato, sed in
publico orbis terræ consilio, id est, in senatu, ut gra-
tias agerent, mittebantur: neque etiam cum edixi, ne
quis iniussu meo profisceretur, exclusi eos, qui me
in castra, & qui trans Taurum persequi non pos-
sent. Nam id est maxime in tuis literis irridendum.
Quid enim erat, quod me persequerentur in castra,
Taurumne transirent? cum ego Laodicea usq; ad Ico-
nium iter ita fecerim, ut me omnium illarum diæce-

sim, quæ cis Taurum sunt, omniumq; earum ciuitatum magistratus, legationesq; conuenirent. Nisi forte postea cœperunt legare, quam ego Taurum transgressus sum, quod certe ita non est. Cum autem Laodiceæ, cum Apameæ, cum Synnadis, cum Philomeli, cum Iconiæ essem, quibus in oppidis omnibus commoratus sum, omnes iam istius generis legationes erant constitutæ. Atque hoc tamen te scire uolo, me de isto sumtu legationum aut minuendo aut remittendo decreuisse nihil, nisi quod principes ciuitatum me postulasent, ne in uenditionem tributorum, & illam acerbissimam exactionem (quam tu non ignoras) caput, atq; ostiorum inducerentur sumtus minime necessarii. Ego autem cū hoc suscepissem, non solum iusticia, sed etiam misericordia adductus, ut leuarem miseris perditas ciuitates, & perditas maxime per magistratus suos, non potui in illo sumtu non necessario negligens esse. Tu, cum istiusmodi sermones ad te delati de me sunt, non debuisti credere. Si autem hoc genere delectaris, ut quæ tibi in mentem ueniant, alijs attribuas, genus sermonis inducis in amicitiam minus liberale. Ego si in prouincia de tua fama detraxerem unquam cogitasset, non ad generum tuum Lentulum, neq; ad libertum tuum Brundisij, neq; ad præfectum fabrum Corcyre, quem in locum me uenire uelules, retulissem. Quare potes, doctissimis hominibus auctoribus, quorum sunt de amicitia gerenda præclarissime scripti libri, genus hoc totum orationis tollere

DISPUTABANT, EGO CONTRA
DISSEREBAM. DICEBANT, EGO
NEGABAM. An mihi de te nihil esse dictum unquam

quam putas? ne hoc quidem, quod cum me Laodicea
an uenire uoluisses, Taurum ipse transisses? quod ijs-
dem diebus meus conuentus erat Apameæ, Synnadis,
Philemeli, tuus Tarsi? Non dicam plura, ne in quo te
obiurgem, id ipsum uidear imitari. Illud dicam, ut sen-
tis, si ista, quæ alios loqui dicis, ipse sentis, tua summa
culpa est: sin alij tecum hæc loquuntur, tua tamen,
quod audis, culpa nonnulla est. Mea ratio in tota ami-
citia nostra constans & grauis reperietur. Quod si
quis me astutiores fingit, quid potest esse incallidius
quam, cum te absentem semper defenderim: cum præ-
sertim mihi usu uenturum non arbitrarer, ut ego quo
que absens a te defendendus essem, nunc committere,
ut tu iure optimo me absentem deferere posses. Vnum
genus excipio sermonis, in quo persæpe aliquid dici-
tur, quod te putem nolle dici: si aut legatorum tuorum
quispiam, aut præfectorum, aut tribunorum militum,
male dicit: quod tamen ipsum non mebercule adhuc
accidit me audiente, ut aut grauius diceretur, aut im-
purius, quam mecum Corcyræ Clodius est locutus:
cum in eo genere maxime quereretur te aliorum im-
probitate minus felicem fuisse. Hos ego sermones, quod
& multi sunt, & tuam existimationem, ut ego sen-
tio, non offendunt, lacebriui nunquam, sed non ualde
repressi. Si quis est, qui neminem bona fide in gratiam
putet redire posse, non nostram is perfidia coarguit,
sed indicat suam: simulq; non de meis peius, quam de
te existimat. Sin autem quæquam mea instituta in
prouincia non delectant, quadam dissimilitudine insti-
tutorum meorum ac tuorum lædi se putat, cum utra-
que nostrum recte fecerit, sed non idem uterq; secutus

fit: hunc ego amicū habere non curo. Liberalitas tua ut hominis nobilissimi, latius in provincia patuit. Nostra si angustior erit, & si de tua proluxa, beneficium: natura limabit aliquid posterior annus, propter quādam tristitiam temporum, nō debent mirari homines, cum & ipse natura semper ad largiendum ex alieno fuerim restrictior, & temporibus quibus alij mouentur, isdem ego mouear, me esse acerbū sibi, ut sim dulcis mihi. De rebus urbanis quod me certiorē fecisti, cum per se mihi gratum fuit, tum quod significasti tibi omnia mea mandata curā fore. In quibus unum illud te precipue rogo, ut cures, ne quid mihi ad hoc negotij aut oneris accedat aut temporis. Hortensiumq; nostrum collegam & familiarem roges, ut si unquam mea causa quicquam aut sensit aut fecit de hac quoque sententia bima decedat, qua mihi nihil potest esse inimicius. De nostris rebus quod scire uis, Tarso Nonis Octob. Amanum uersus profecti sumus. Hæc scripsi postridie eius diei, dum castra haberem in agro Mosestia. Si quid egero, scribam ad te: neq; domum unquam ad meos literas mitam, quin adiungam eas, quas tibi reddi uelim. De Parthis quod quaeris, fuisse nullos puto. Arabes qui fuerunt aduerso Partico ornatu, dicuntur omnes reuertisse. Hostem esse in Syria negant ullum. Tu uelim ad me quam sapissime & de tuis rebus scribas, & de meis, & de omni Reipublicæ statu, de quo sum sollicitus: eo magis, quod ex tuis literis cognoui, Pompeium nostrum in Hispaniam iturum. Vale.

M. T. C. APPIO PVLCRE

38

S. P. D.

Vix

Vix tandem legi literas dignas Appio Claudio, plenae humanitatis, officij diligentiae. Aspectus uidelicet urbis tibi tuam pristinam urbanitatem reddidit. Nam quas ex itinere ante, quam ex Asia egressus es, ad me literas misisti, una de legatis a me prohibitis proficisci: alteras de Apameorū ædificatione impedita, legi per inuitus. Itaq; conscientiae meae constantis erga me uoluntatis rescripsi tibi subiratus. Iis uero literis lectis, quas Philotimo liberto meo dedisti cognoui, intellexique in provincia multos fuisse, qui nos, quo animo inter nos sumus, esse nollent. Ad urbem uero ut accesseris, uel potius ut primum tuos uideris, cognosse te ex ijs, qua in te absentem fide, qua in omnibus officijs tuendis erga te obseruantia & constantia fuisset. Itaq; quanti illud me aestimare putas, quod est in tuis literis scriptum? si quid inciderit quod ad meam dignitatem pertineat, et si uix fieri possit, tamen te parem mihi gratia relaturum. Tu uero facile facies: nihil est enim quod studio & beneuolentia, uel amore potius effici non possit. Ego, etsi & ipse ita iudicabam, & fiebam crebro a meis per literas certior: tamen maximam læticiam cepi ex tuis literis de spe minime dubia & plane explorata triumphi tui: neque uero ob eam causam, quo ipse facilius consequeretur, (nam id quidem *ἐπιχειρήσιον* est) sed mebercule, quod tua dignitas, atque amplitudo mihi est ipsa cara per se. Quare quoniam plureis tu habes, quam cæteri, quos scias in hanc provinciam proficisci, quod te adeunt fere omnes, si quid uelis, gratissimum mihi feceris, si ad me simulatque adeptus eris, quod et tu confidis & ego opto, literas miseris. Longi suba

gi subsellij (ut noster Pompeius appellat, indicatio
 & mora, si quem tibi item unum, alterumue diem ab-
 stulerit (quid enim potest amplius?) tua tamen digni-
 tas suum locum obtinebit. Sed si me diligis, si a me di-
 ligi uis, ad me literas, ut quam primum læticia affici-
 ar, mittito. Et uelim, reliquum quod est promissi ac
 muneris tui, mihi persoluas. Cum ipsam cognitionem
 iuris augurij consequi cupio, tum mehercule tuis in-
 credibiliter studiis erga me muneribusq; delector.
 Quod autem a me tale quiddam desideras, sane mihi
 considerandum est, quonam te remunerer potissimum
 genere, nam profecto non est meum, qui in scribendo
 (ut soles admirari) tantum industriæ ponā, commit-
 tere, ut in scribendo negligens fuisse uidear: præse-
 rim cum id non modo negligentis, sed etiam ingrati
 animi crimen futurum sit. Verum hæc uidebimus. Il-
 lud quod polliceris, uelim pro tua fide, diligentiaque
 & pro nostra non instituta, sed iam inueterata ami-
 citia, cures, enitere, ut supplicatio nobis quam bono-
 rificentissime, quam primumq; decernatur. Omnino
 serius nisi literas, quā uellem, in quo cum difficultas
 nauigandi fuit odiosa, tum in ipsum discessum senatus
 incidisse credo meas literas. Sed id feci adductus au-
 thoritate & consilio tuo, idq; a me recte factum puto,
 quod non statim, ut imperator appellatus sim, sed alijs
 rebus additis, æstuiisq; confectis, literas miserim. Hæc
 igitur tibi erunt curæ, quemadmodum ostendis, meq;
 totum, & mea, & meos commendatos habebis. Vale.

M. T. C. APPIO PVLERO

Cum ad nos allatum esset de temeritate eorū, qui tibi negotium facerent, etsi grauer primo nuncio commotus sum, quod nihil tam præter opinionem meam accidere potuit: tamen ut me collegi, cætera mihi facillima uidebantur: quod & in teipso maximam spem, & in tuis magnam habebam, multaque mihi ueniebant in mentem, quamobrem istū laborem tibi etiam honori putaram fore. Illud plane moleste tuli, quod certissimum & iustissimum triumphum, hoc inuidorum consilio esse tibi ereptum uidebam. Quod tu si tanti facies, quanti ego semper iudicaui faciendum esse, satis sapienter, & ages uictor ex inimicorum dolore triumphum iustissimum. Ego enim plane uideo fore neruis opus, sapientiæq; tua uehementer, ut inimicos tuos poeniteat intemperantiæ suæ. De me tibi sic, obtestans omneis deos, promitto, atque confirmo, me pro tua dignitate (malo enim dicere, quam pro salute) hac prouincia, cui tu præfuisi, rogando deprecatoris, laborando propinqui, autoritate cari hominis (ut spero) apud ciuitates, grauitate imperatoris suscepturum officia atque parteis. Omnia uolo a me & postules & expectes: uincam meis officijs cogitationes tuas. Qu. Seruilius perbreueis a te mihi literas reddidit, quæ mihi tamen nimis longæ uisæ sunt. Iniuriam enim mihi fieri putabam, cum rogabar. Nollem accidisse tempus, in quo perspicere posses, quanti ego te, quanti Pompeium, quem unum ex omnib. facio, ut debeo, plurimi, quanti Brutum facerem: quanquam in consuetudine quotidiana perpexisses, sicut perspicias: sed quoniam accidit, si quid a me prætermisum fuerit, commissum facinus,

C

Et amissum dedecus confitebor. Pontinius, qui a te tractatus est præstanti ac singulari fide, cuius tui beneficii sum ego testis præstat tibi memoriam, beneuolentiamque quam debet: qui cum maximis suis rebus coactus a me inuitissime decessisset: tamen, ut uidit tua interesse, conscendens iam nauem Epheſo Laodiceam reuertit. Talia cum te studia uideam habiturum esse innumerabilia, plane dubitare non possum, quin tibi amplitudini ista sollicitudo futura sit. Si uero effeceris, ut Censor creeris, Et si ita gesseris Censuram, ut Et potes Et debes, non tibi solum, sed tuis omnibus uideo in perpetuum summo te præsidio futurum. Illud pugna Et enitere, ne quid nobis temporis prorogetur: ut, cum hic tibi satisfecerimus, isthic quoque nostram in te beneuolentiam nauare possimus. Quæ de hominum atque ordinum omnium erga te studiis scribitur ad me, minime mihi miranda Et maxime iucunda acciderunt, eademque ad me perscripta sunt a familiaribus meis. Itaque capio magnam uoluptatem, cum tibi, cuius tibi amicitia non solum ampla, sed etiam iucunda est, ea tribui uideo, quæ debeantur: tum uero etiam num remanere in ciuitate nostra studia prope omnium consensu erga forteis Et industrios uiros, quæ mihi ipsi una semper tributa merces est laborum Et uigiliarum mearum. Illud uero mihi permirum accidit, tantam temeritatem fuisse in eo adolescente, cuius ego salutem duobus capitis iudicijs summa contentione defendi: ut in tuis inimicijs suscipiendis obliuisceretur patroni omnium fortunarum ac rationum suarum præsertim cum tu omnibus uel ornamentis uel præsidijs redundares, illi (ut lenissime dicam) multa deessent

deessent, cuius sermo stultus et puerilis erat iam ante ad me a M. Caelio familiari nostro perscriptus, de quo item sermone multa scripta sunt abs te. Ego autem citius ab eo, qui tuas inimicitias suscepisset, ueterem coniunctionem diremissem, quam nouam conciliassem. Neque enim de meo erga te studio dubitare debes, neque id est obscurum cuiquam in prouincia, nec Romae fuit. Sed tamen significatur in tuis literis suspicio quaedam et dubitatio tua: de qua alienum tempus est mihi tecum exposulandi, purgandi autem mei necessarium. Vbi enim ego cuiquam legationi fui impedimento, quo minus Romam ad laudem tuam mittere retur? Aut in quo potui, si te palam odissem, minus, quod tibi obesset, facere? si clam, magis aperte inimicus esse? Quod si essem ea perfidia, qua sunt ij, qui in nos haec conferunt: tamen ea stulticia certe non fuisset, ut aut in obscuro odio apertas inimicitias, aut in quo tibi nihil nocerem, summam ostenderem uoluntatem nocendi. Ad me adire quosdam memini, qui dicerent nimis magnos sumtus legatis decerni: quibus ego non tam imperaui, quam censui, sumtus legatis quam maxime ad legem Corneliam decernendos. Atque in eo ipso me non perseueraſſe, testes sunt rationes ciuitatum, in quibus quantum quaeque uoluit legatis tuis datum, induxit. Te autem quibus mendacijs homines leuissimi onerarunt? non modo sublatus sumtus, sed etiam a procuratoribus eorum, qui iam profecti essent, repetitos et oblatos, eamque causſam multis omnino non cundi fuisse. Quererer tecum atque exposularem, nisi (ut supra scripsi) purgare me tibi hoc tuo tempore, quam accusare te mallet: idque putarem esse

esse rectius. Itaque nihil de te, quod credideris de me, quamobrem non debueris credere, pauca dicam. Nam si me uirum bonum, si dignum ijs studijs, eaq; doctrina, cui me a puericia dedi, si satis magni animi, non mi nimi consilij in maximis rebus perspectum habes: nihil in me non modo perfidiosum, et insidiosum, & fallax in amicitia, sed ne humile quidem, aut ieiunum debes agnoscere: Sin autem me astutum, & occultum libet fingere: quid est, quod minus cadere in eiusmodi naturam possit, quam aut florentissimi hominis aspernari beneuolentiam, aut eius existimationem oppugnare in pronuncia, cuius laudem domi defenderis: aut in ea re animum ostendere inimicum, in qua nihil obsis? aut id eligere ad perfidiam, quod ad indicandum odium apertissimum sit, ad nocendum leuissimum? Quid erat autem, cur ego in te tam implacabilis essem, cum te ex fratre meo ne tunc quidem, cum tibi prope necesse esset eas agere parteis, inimicum mihi fuisse, cognouissem? Cum uero redditum nostrum in gratiam uterq; expetisset: quid in consulatu tuo frustra mecum egisti, quod me aut facere aut sentire uoluisses? Quid mihi mandasti, cum te Puteolis prosequer, in quo non expectationem tuam diligentia mea uicerim? Quod si id est maxime astuti, omnia ad suam utilitatem referre: quid mihi tandem erat utilius, quid commodis meis aptius, quam hominis nobilissimi atque honoratissimi coniunctio, cuius opes, ingenium, liberi, affines, propinqui mihi magno uel ornamento uel praesidio esse possent? Quae tamen ego omnia in expetenda amicitia tua, non astutia quadam, sed aliqua potius sapientia, secutus sum. Quid, illa uincula,

cula, quibus quidem libentissime astringor, quanta sunt studiorum similitudo, suauitas consuetudinis, delectatio uitæ atque uictus, sermonis societas, literæ interiores. Atque hæc domestica. Quid illa tandem popularia: reditus illustris in gratiam, in quo ne per imprudentiam quidem errari potest sine suspitione perfidiæ, amplissimi sacerdotum collegium, in quo non modo amicitiam uiolari apud maiores nostros fas non erat, sed ne cooptari quidem sacerdotem licebit, qui cuiquam ex collegio esset inimicus. Quæ ut omittam tam multa atque tanta, quis unquam tanti quenquam fecit, aut facere potuit, aut debuit, quanti ego Cn. Pompeium socerum filia tua? Etenim si merita ualent, patriam, liberos, salutem, dignitatem, memetipsum mihi per illum restitutum puto. Si consuetudinis incunctitas: quæ fuit unquam amicitia Consularium in nostra ciuitate coniunctior? Si ulla amoris atque officij signa: quid mihi ille non commisit? quid non mecum communicauit? quid de se in senatu, cum ipse abesset, per quenquam agi maluit? quibus ille me in rebus non ornatum uoluit amplissime? qua denique ille facilitate, qua humanitate tulit contentionem meam pro Milone, aduersantem interdum actionibus suis? quo studio prouidit, ne qua me illius temporis inuidia attingeret, cum me consilio, cum auctoritate, cum armis denique texit suis? quibus quidem temporibus hæc in eo grauitas, hæc animi altitudo fuit, non modo ut Phrygi alicui, aut Lycaoni, quod tu in legatis fecisti, sed ne summorum quidem hominum maleuolis de me sermonibus crederet. Huius igitur filius cum sit gener tuus, cumque præter banc coniunctionem affinitatis

F. quam

quam sis Cneo Pompeio carus, quamq; iucundus, intelligam: quo tandem animo in te esse debeo? cum præsertim eas ad me is literas miserit, quibus etiamsi tibi, cui sum amicissimus, hostis essem, placarer tamen, totumq; me ad eius uiri ita de me meritis uoluntatem nutumq; conuerterem. Sed hæc hætenus, pluribus enim etiam forisasse uerbis, quam necesse fuit, scripta sunt. Nunc ea, quæ a me perfectæ quæq; instituta sunt, cognosce. Atq; hæc agimus, & agemus magis pro dignitate, quam pro periculo tuo. Te enim (ut spero) propediem Censorem audiemus, cuius magistratus officia, quæ sunt maximi animi, summiq; consilij, tibi diligentius & accuratius, quam hæc, quæ nos de te agimus, cogitanda esse censeo. Vale.

M. T. C. APPIO PVLCRE(VT
40 SPERO) CENSORI S. P. D.

11

Cum essem in castris ad flumen Pyramum, redditæ mihi sunt uno tempore a te epistolæ duæ, quas ad me Qu. Seruilius Tarso miserat. Earum in altera dies erat ascripta Nonarum Aprilium, in altera, quæ mihi recentior uidebatur, dies non erat. Respondebo igitur superiori prius, in qua scribis ad me de absolutione maiestatis, de qua, etsi permultum ante certior factus eram literis, nuncijs, fama deniq; ipsa (nihil enim fuit clarius: non quo quisquam aliter putasset: sed nihil de insignibus ad laudem uiris obscure nunciari solet) tamen eadem illa lætiora fecerunt mihi tuæ literæ: non solum quia planius loquebantur, et uberius, quam uulgi sermo: sed etiam quia magis tibi uidebar gratulari, cum de te ex te ipso audiebam. Cōplexus

plexus igitur sum cogitatione te absentem: epistolam
 vero osculatus, etiam ipse mihi gratulatus sum. Quæ
 enim a cuncto populo, a senatu, a iudicibus, ingenio,
 industria, uirtuti tribuuntur: quia ipse mihi assentior
 fortasse, cum eam esse in me fingo: mihi quoque ipsi tri-
 bui puto. Nec tam gloriosum exitum tui iudicii exten-
 disse, sed tam paruum inimicorum tuorum mentem fu-
 isse mirabar. De ambitu uero quid interesi, inquires,
 an de maiestate? ad rem nihil: alterum enim non atti-
 gisti, alteram duxisti. Veruntamen est maiestas (ut
 Sylla uoluit) ne in quemuis impune declamare liceret.
 Ambitus uero, ita apertam uim habet, ut aut accusa-
 tur improbe, aut defendatur: qui enim facta, et non
 facta largitio ignorari potest? Tuorum autem bono-
 rum cursus, cui suspectus unquam fuit? Me miserum,
 qui non affuerim? quos ego risus excitassem? Sed de
 maiestatis iudicio, duo mihi illa ex tuis literis incun-
 dissima fuerunt: unum, quod te ab ipsa Republica de-
 frsum scribis, quæ quidem, etiam in summa bonorum
 et fortium ciuium copia, tueri taleis uiros deberet,
 nunc uero eo magis, quod tanta penuria est in omni
 uel honoris uel ætatis gradu, ut tam orba ciuitas ta-
 leis tutoreis complecti debeat: alterum quod Pom-
 peij et Bruti fidem, beneuolentiamque mirifice lau-
 das. Lætor uirtute et officio cum tuorum necessari-
 orum, meorum amicissimorum, tum maxime alterius
 omnium sæculorum, et gentium principis: alterius
 iam pridem iuuentutis, celeriter (ut spero) ciuitatis.
 De mercenarijs testibus a suis ciuitatibus notandis, ni-
 si iam aliquid factum est per Flaccum, fiet a me, cum
 per Asiam decedam. Nunc ad alteram epistolam ue-

nio. Quod ad me quasi formam communium temporum & totius Reipublicæ misisti expressam, prudentia literarum tuarū ualde est mihi grata. Video enim & pericula leuiora, quam timebam, et maiora praesidia: siquidem (ut scribis) omnes uires ciuitatis, se ad Pompey ductum applicauerunt, tuumque simul promptum animum & alacrem perspexi ad defendendam Rempublicam: mirificamque cepi uoluptatem ex hac tua diligentia, quod in summis tuis occupationibus, mihi tamen Reipub. statum per te notum esse uolueris. Nam augurales libros ad commune utriusque nostrum ocium serua. Ego enim a te, cum tua promissa per literas flagitabam, ad urbem te ociosissimum esse arbitrabar: nunc tamen, ut ipse polliceris, pro auguralibus libris orationes tuas confectas omnes expectabo. Tullius, cui mandata ad me dedisti, non contemnerat me, nec erat iam quisquam mecum tuorum, praeter omnes meos, qui sunt omnes tui. Stomachosiores meas literas quare dicas esse, non intelligo: his ad te scripsi, me purgans diligenter, te leniter accusans in eo, quod de me cito credidisses: quod genus querelae mihi quidem uidebatur esse amici. Sin autē tibi displicet, non utar ea posthac. Sed si, ut scribis, haec litterae non fuerunt disertae, scito meas non fuisse. Ut enim Aristarchus Homeri uersum negat, quem non probat: sic tu (libet enim mihi iocari) quod disertum nō erit, ne putaris meum. Vale, & in Censura, si iam es Censor (ut spero) de proauro multum cogitato tuo. Vale.

M. T. C. APPIO PVLGRO

41

S. P. D.

Gratulor

GRatulor tibi prius (ita enim rerum ordo pos-
tulat) deinde ad me conuertar. Ego uero uehe-
menter gratulor de iudicio ambitus, neq; id, quod ne-
mini dubium fuit, absolutum te esse, sed illud, quod
quo melior ciuis, quo uir clarior, quo fortior amicus
es, quoq; plura uirtutis & industriæ ornamenta in-
te sunt, eo mirandum est magis, nullam, ne in tabellæ
quidem latebra, fuisse absconditam maleuolentiam,
quæ te impugnare auderet, non horum temporum,
non horum hominum atq; morum negotium, nihil
iam sum pridem admiratus magis. De me autem susci-
pe paulisper meas paries, & cum te esse finge, qui
ego sum: si facile inueniris quid dicas, noli ignoscere
hesitationi meæ. Ego uero uelim mihi Tulliaq; meæ
(sicut tu amicissime & suauissime optas) prospere
euenire ea, quæ me insciente facta sunt a meis: sed ita
cecidisse, ut agerentur eo tempore, spero omnino cum
aliqua facilitate, & opto: ueruntamen plus me in hac
spe, tua sapientia & humanitas consolatur, quam opor-
tunitas temporis. Itaq; quemadmodum expe-
diam exitum huius institutæ orationis, non reperi-
o: neq; enim tristius dicere quicquam debeo ea de re,
quam tu ipse omnibus optimis prosequeris: neq; non
me tamen mordet aliquid, in quo unum uereor, ne tu
parum perspicias ea, quæ gesta sunt, ab illis esse ge-
sta, quibus ego ita mandaram, ut cum tam longe absen-
turus essem, ad me ne referrent: agerent, quod pro-
bassent. in hoc autem mihi illud occurrit. Quid tu igi-
tur si affuisses: rem probassem, de tempore, nihil te
inuito, nihil sine consilio egissem tuo. Vides sudare
me, iam admodum laborantem quomodo ea tuear, quæ
F 3 mihi

mibi tuenda sunt, & te non offendam. Leua me igitur hoc onere: nunquam enim mihi uideor traxisse causam difficiliorem. Sed tamen sic habeto, nisi iam tunc omnia negocia cum summa tua dignitate diligentissime concessissem, tametsi nihil uidebatur ad meum erga te pristinum studium addi posse: tamen hac mihi affinitate renunciata, non maiore equidem studio, sed acrius, apertius, significantius, dignitatem tuam defendissem. Decedenti mihi, & iam imperio annuo terminato, ante Nonas Sextileis, cum ad Sidam nauis accederem, & mecum Qu. Seruilius esset, literæ a meis sunt redditæ: dixi statim Seruilio (etenim uidebatur esse commotus) ut omnia a me maiora expectaret: quid multa? beniuolentior tibi, quam fuerim, nihil sum factus: diligentior quidem ad declarandam beniuolentiam multo. Nam ut uetus nostra simultas antea stimulabat me, ut cauere, ne cui suspicionem fide reconciliatæ gratiæ darem: sic affinitas noua curam mihi affert cauendi, ne quid de summo meo erga te amore detractum esse uideatur. Vale.

M. T. C. APPIO PVLCRE

42

S. P. D.

13.

Quasi diuinarem tali in officio fore mihi aliquando expetendum studium tuum: sic, cum de tuis rebus gestis agebatur, inseruiebam honori tuo. Dicam tamen uere, plus, quam acceperas, reddidisti. Quis enim ad me non perscripsit, te non solum autoritate orationis, sententia tua, quibus ego a te tali uiro contentus eram: sed etiam opera, consilio, domum uenio

ueniendo, conueniendis meis, nullum onus officij cuiquam reliquum fecisse? Hæc mihi ampliora multo sunt, quam illa ipsa, propter quæ hæc elaborantur. insignia enim uirtutis multi etiam sine uirtute assecuti sunt: talium uirorum tanta studia assequi sola uiro-
tus potest. Itaq; mihi propono fructum amicitia: nostra ipsam amicitia, qua nihil est uberius, præsertim in ijs studijs, quibus uterq; nostrum deuinctus est. Nam tibi me profiteor, & in Republica socium, de qua idem sentimus, & in quotidiana uita coniunctum, cum ijs artibus studijsq; quæ colimus. Velim ita fortuna tulisset, ut quanto ego omneis tuos facio, tanti tu me-
ci facere posses: quod tamen ipsum, nescio qua permo-
tus animi diuinatione, non despero. Sed hoc nihil ad te nostrum est onus. Illud uelim sic habeas, quod intel-
liges, hac re nouata additum potius aliquid ad meum
erga te studium, cui nihil uidebatur addi posse, quam
quicquam esse detractum. Cum hæc scribebam, Censor
rem iam te esse sperabam: eo breuior est hæc epistola,
& ut aduersus magistrum morum, modestior. Vale.

MARCI TVLLII

CICERONIS EPISTOLARVM

LIBER AD SERVIVM SVLPITIVM, ET CAE-

TEROS.

M. T. C. SERUIO SVLPITIO

S. P. D.

43

F 4

Caius